1326 2 Januarii Ex Originali Pargamen Archi Cap Plocnes

509.

Pactum reciproci auxilii contra hostes initum inter Wernherum Magist. Ord: Cruciferu et Semov Ducem Masoviæ

147

Noverint Universi quorum ad audienciam presens pagina devolvetur Quod nos frater Wernherus Generalis Magister Fratrum ordinis hospitalis Sanctæ Mariæ Theuthonicorum Jerosolimitanorum Conspicientes ac Considerantes nobis terris que nostris multum esse fructuosum, de maturo ac sano conpreceptorum nostrorum ac Fratrum consilio, cum Illustri Principe Domino Semovito inclito duce Mazoviæ fecimus, Ordinavimus, confirmavimus, inter nos perpetuæ pacis unionem in hunc modum. Quod Solida manu nos et terras nostras contra quoslibet invasores ubique Clipeo defensionis idem Dominus Semovitus cum suis militibus Vasallis seu feudalibus ac ceteris suis subditis et aliis sibi adhærentibus tenebitur viriliter ac fideliter defensare, Nobis que sine aliqua Nota falsitatis adhærrere. Itaque si aliqua sevitia hostilis seu exercitus terras nostras brachio potenti subintraverit aut moram fecerit in eisdem nec non castra ac munitiones vallaverit, aut vallare voluerit, ad dictorum Inimicorum nostrorum seviciem prosternendam Idem dictus dominus Semovitus cum suis hominibus nobis tenebuntur et erunt obligati præsentia corporali præstare auxilium et Juvamen. Et nos vice versa Ipsi domino Semovito ac suis hominibus fideliter obligamur in his omnibus Secundum quod est prefactum. Preterea si uno eodemque tempore tam nostras terras, quam etiam dicti Domini Semoviti aliqui exercitus Impugnaverint, ita quod ex utraque parte fuerimus occupati per inimicos, et auxilium

vicissim nobis prebere non valeamus, in hoc unionis et concordie memorate volumus violatores Judicari Pactavimus insuper quod nolumus cum adversariis nostris quamvis firmare concordiam ipso Domino Semovito in consulto, sic neque discordiam volumus cum aliquibus acceptare, sepedicto Domino Semovito, Similiter inconsulto. Adjicimus etiam, quod si Latrunculi aut exercitus exilis et modicus eiusdem Domini Semoviti terram subintraverit, ipsi Domino Semovito consilio et auxilio secundum quod utrique Parti Videbitur, volumus et tenemur suffragari. In cuius rei testimonium et evidenciam pleniorem presentes jussimus nostro conpreceptorumque nostrorum Fratrum videlicet Fridrici Wildenbore Magni comendatoris, Ottonis de Lutenburg Provincialis Terre Culmensis, Henrici de Ysenbere de Kinigis-bere Luther de Brunsvic in Crisbure Henrici de Gora in Engelbere, Godfrido de Szwarzburch et Gudenze, et Eligert de Holtenstein dominorum Commendatorum Sigillis muniri. Datum in Strasberg Anno domini 1326 In crastino circumcisionis.

Sigilla in hac charta pergamena vetustate corrosa desiderantur: loca tamen, ubi erant appensa, octo apparent

Concordat cum Originali, nisi quid fuit in Nominibus Germanorum erratum.

29. 7. bris 1778. Vars.

Testor. Adam Naruszewicz Epus Coad. Smol. Supr. M.D.L. Notarius

Podobna umowa barziona rest z Stimy Ksiąg Mazowieckich. mutatis mutandis.